

*1785,6*  
RELIQVIAE CONTROVERSIAE  
INTER  
EVLGARVM DE BVLGARIS ET MARTINVM GOSIAM  
DE  
PRAELATIONE DOTIS.

*P.H.S.*  
PROGRAMMA  
QVO  
PRAENOBILISSIMI AC CLARISSIMI  
**GOTTLIEB HVFELAND**  
GEDANENSIS  
LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI  
DISPV TATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
LEGVM IN PANDECTIS INTERPRETANDARVM  
S V B S I D I O  
EX EARVM NEXV ET CONSECVTIONE  
PETENDO  
D. X. SEPT. ANN. MDCCCLXXXV.  
INSTITVENDAM  
INDICIT  
**CAR. FRID. WALCHIVS, D.**  
ORD. IVRISCONSVLTORVM SENIOR AC DECANVS.

I ENAE  
LITTERIS HELLERIANIS.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO  
MAJOR WORKS OF GÖTTLIEB HAUER

PRAE LATIONE

AMMADOSTA

OD

KRATISCHNISSEMI AC CAVISIMI

GÖTTLIEB HAUER

AMMADOSTA

MEMORABILIA

OD

AMMADOSTA

HALT

TELEGRAM

DR. RUDOLPH





**T**ANTA prouidentia leges sunt conceptae, quas tulit IVSTINIANVS de hypotheca, vxori in bonis mariti ob dotem, ipsi illatam, competente a), ut si quoque cum AVG. LEYSERO b) haud coniiciamus, factas esse illas suas hortatuque THEODORAE; admirari tamen debeamus singularem illam curam, qua caueret, ne detrimen-  
ti quid caperet res vxoria. Plana sunt, quae ibi traduntur, atque abunde ex iis constat praestantia pignoris faciti, do-  
ti tributi; nihil tamen minus perpetuae illae turbae ac ri-  
xae, quas media aetate iuris interpretes, *glossatorum* nomi-  
ne noti, souerent, effecerunt, vt ab iis vario modo expo-  
nuntur et reuera sint flexiloqua atque ambigua, quae ea  
de re proferunt. Licet IO. SAL. BRVNNQVELLIUS in-  
ter contiouersias, istos inter iurisconsultos agitatas, litem  
haud referat, quam BVLGARVS DE BVLGARIS cum  
MARTINO GOSIA d) habuit de creditoribus hypotheca-  
riis, qui sunt vxore potiores; illius tamen ACCVRSIUS e)  
mentionem fecit. *Et nota, inquit, quod hic est triplex*

A 2 opinio

a) L. 12. C. qui pos. in pignore L. 30. C. de iure dot. Nou. 97. cap. 1.  
et 2. ac Nou. 109. cap. 1.

b) spec. XIII. med. 2.

c) prol. de scitis et contiouersis iuris Iustinianei interpretum, quos  
glossatores vocamus, tom. 1. opuscul. p. 303.

d) de his iurisconsultis plura proferunt GVL. PANCIROLLVS, de  
claris leg. interpretibus, libr. II. cap. 14. IO. FICHARDVS, vit.  
recent. iurisconsulti p. 400. atque auctores der Halischen Beytraege  
zu der iuristischen gelehrten Historie, tom. III. p. 728.

e) ad L. 12. C. qui potiores in pignore.

4

---

---

opinio circa hypothecam expressam praecambulam. Nam Martinus dicit, quod mulier praeferatur omnibus prioribus, siue expressas; siue tacitas habeant hypothecas — — — Alii distinguunt inter pignus et hypothecam otio hypothecis praeferatur: in pignoribus creditor i datis non sic. Et aliter quoque sit distinctio inter pignus et hypothecam: ut ff. in quib. causa. pignus tac. contrahatur. L. est differentia ff. de usu cap. non solum §. si rem. Sed nec hoc placet, quia quantum ad actionem hypothecariam et eius priuilegium, nihil interest inter pignus et hypothecam, ut insit. de act. §. item Serviana. Tu dic tertio cum Bulgario esse distinguendum, utrum fit hypotheca expressa et tunc non praeferatur mulier; an tacita, et tunc praeferatur mulier. Quum ACCVRSIUS in BULGARI sententiam discedere haud dubitaret ac cum illo praeferendum censeret vxori creditorem, qui expressa hypotheca esset munitus; antequam matrimonium celebraverit debitorque dotem accepit: eius castra plures juris consultorum omni tempore sunt sequuti f); neque minus id in primis in Saxonia factum est a legumlatoribus: g) quo vero posito, plures ortae sunt in foro quaestiones, quae plane inutiles fuissent, si in eo prudentes adquieuerint, quod IUSTINIANO placuerit; hodie autem perdifficiles esse videntur atque obscurae.

## MISSAM

- f) MATH. WESENBECHIUS, ad tit. dig. qui por. in pignore, num. 3. ANDR. GATLIVS, libr. II. obseruat. cap. 5. ANT. FABER, libr. VII. cod. Sabaud. tit. 34. def. 3. CHRIST. PHIL. RICHTERVS, de iure et privilegi. codit. cap. III. secl. 1. p. 138. GEORG. AD. STRVIVS, ex. XXXIII. libf. 49. not. 2. AVG. LEYSERVS, loc. laud. atque ERNST. CHRIST. WESTHALIVS, in dem Verfuch einer syllemarischen Erlaute rung der saemelichen römischen Gesetze vom Pfandrecht, §. 164. p. 236. fq.
- g) ord. proc. Saxi. vetus, tit. XLIII. §. 1. ord. processus Gorhana vetus, part. I. cap. 18. §. 8. ord. proc. Altenburgensis, part. I. cap. XXXVII. §. 14. Ifenacensis, tit. XXVIII. §. 6. et Schwarzburgica, part. III. tit. 2. Extra Saxoniam sententia adoptata est in dem Württembergischen Landrecht, part. I. iij. 75. der Hochfürstl. Brandenburgischen Landes Constitution, class. II. §. 1. p. 27. ac statutis Hanibhusanis, libr. II. art. XXXI. §. 2.

MISSAM iam facio vnam earum, quid sit scilicet sta-  
tuendum, ubi tacita aequa ac expressae hypothecae in bonis  
mariti locum habuerint ante nuptias, ab ipso initas, et  
quidem uxori is, qui expressa fruatur; minime vero ille,  
cui saltem tacitum competit pignus, praecedere debeat hic-  
que tamen illud habuerit, quum alteri constitueretur ex-  
pressa hypotheca. Lectorem ablego ad ea, quae hac de-  
re protulerunt BENED. CARPOVIUS *h*) AVG. BERLI-  
CHIVS *i*) PETR. MULLERVS *k*) ac IO. HENR. BERGER-  
RYS *l*) atque in praesenti solum disquirro, quantum ad  
tempus illationis dotis sit recipiendum, ubi in creditorum  
concurso uxori locus sit adsignandus, qui ipsi legum ex-  
tentia competit? Inter recentiores jurisconsultos AVGV-  
STINVS DE BALTHASAR *m*) quaestionem hanc terigit et  
licet concedat, plerosque iurisperitorum hypothecam a  
die promissionis et consummati matrimonii constituant  
arbitrii et numerationem postea factam retrahi; rationitatem  
convenire putat, quod incipiat a die dotis datae.  
Pronocat, ut conjecturam suam corroboret, ad rescriptum SE-  
VERI arque ANTONINI. *n*) Quum de dote inferenda  
tabulae conficerentur apud vereres-dotales, quarum in pri-  
mis mentionem faciunt SVETONIVS *o*), TACITVS *p*)  
IVVENALIS *q*) atque APULEIVS, *r*) una cum quibusdam  
iurisprudentum *s*) ne que inter esset quidquam hac in re, utrum

## A 3

dos

*b*) part. I. const. 28. def. 175.

*i*) part. I. consol. 72. num. 2.

*k*) ad Sruu. ex. XLIV. thes. 49. not. q.

*l*) secon. iur. libr. II. tit. V. thes. 4. not. 2. et eleff. discept. forens. p. 1449.

*m*) de classificat. creditor. in concurso, part. II. sett. III. p. 52.

*n*) L. 1. C. de dot. caut.

*o*) vid. Claud. cap. 29. num. b.

*p*) libr. XI. annal. cap. 30. §. 2.

*q*) Sat. libr. II. vi. 149.

*r*) apol. p. 512.

*s*) L. 29. D. de past. dotat. I. 12. D. de dor. praeleg. L. 65. D. de  
donat. inter vir. et uxor. L. vlt. D. de suis ex legit. et L. 48. D.  
fotus. matr.

dos sit data; an dicta; an promissa: non potuit fieri; quin signatae essent tabulae <sup>1)</sup>; neque adhuc haud numerata sit dos; sed eamdem ob causam modo nominati augusti haec sanxerint: *dotem numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit et ideo non ignoras, ita demum te ad petitionem dotis admitti posse, si dotem a te re ipsa dataim probatura es.* Iungit huic legi, quod ACCVRSTO <sup>2)</sup> placuit; praeterea autem non est negandum, opponere imperatorem antiquam dotem eius augmento <sup>3)</sup>; neque frui eius ex sententia vxorem ob hoc qualificata illa hypotheca: nisi in immobilibus bonis, quae vxor intulit, illa consistat. Permitit quidem ei res mobiles, si immobilia deficiunt, in augmentum dotis inferre; sed id prius haud concedit; quam si nullum viri debitum adsit; sive, vt, graeca verba latine reddidit IO. FRID. HOMBERGIVS <sup>4)</sup>, maritus nemini obligatus sit; sed tunc reuera haud commoda quaedam ad illam redundant, vbi praeter illam nemo adsit, cui ex bonis mariti sit satisfaciendum.

ETSI vero omnia haec ita sint comparata; nullo tamen modo temporis ratio habenda est, quo dos est numerata. Quum id sine ullo discrimine adfirmare possumus, valet regula haec ante omnia iis in prouinciis, in quibus lege speciali haud prospexitum est creditoribus, qui ante matrimonium contractum munita fuerint hypotheca expressa. Secundum claram constitutionem IVSTINIANI <sup>5)</sup> vxor iis praefertur, quum ait: *sancimus exstipulatu actionem, quam mulie-*

<sup>1)</sup> de variis his modis dotem constituendi plura tradunt CAIUS libr. II. inft. tit. IX. §. 3, in SCHVLTINGII iurisprud. Anteiusustinianea, p. 154, atque VLPIANVS fragmentor. tit. XI. Ea in primis explicantur ab BARN. BRISSONIO, libr. IV. formul. cap. 147. ANT. SCHVLTINGIO, loc. mem. IO. GOTTL. HEINECCIO, antiqu. Rom. libr. II. tit. VIII. ac IO. CANNENGETER, ad Vlpian. tit. V. p. 34.

<sup>2)</sup> ad L. 12. C. qui potiores in pignore.

<sup>3)</sup> Nouell. xcvi. cap. 3.

<sup>4)</sup> nouell. constitut. Iustiniani, nou. xcvi. cap. 2. p. 674.

<sup>5)</sup> L. 12. C. qui potior. in pign.

*mulieribus iam pro dote restituenda dedimus cuique etiam  
donauiimus inesse hypothecam, potiora iura contra omnes ha-  
bere mariti creditores, licet anterioris sint temporis priuile-  
gio vallati.* Repetit hoc in nouella quadam constitutione a)  
et quod sancitum est in fauorem vxorum, vsque eo exten-  
dit, vt iis istos praeserret, quorum pecunia res debitoris sit  
emta; vel reparata et licet paullo post vxori illos, qui mi-  
litiae causa pecunias crediderunt, praetulerit, b) iterum  
haud distinguit, vtrum id sit factum, antequam dos fuerit  
illata; an postea; sed eos vxori, omni delectu remoto, praepo-  
nit. Satis quum clare exhis constat, secundum iuris ciuilis  
sanctionem tempus illationis dotis fundamentum haud  
esse posse loci, vxori inter alios cretiores adsignandi: eius  
auctoritatem in terris, quibus aliud legibus non est intro-  
ductum, in dubium vocare haud possumus ob ea, quae  
glossatorum quidam, vt supra animaduerti, tradiderunt.  
Refragantur iis alii. Neque vlo modo quidquam, quod  
solis nitatur glossatorum praeceptis, pro iure est habendum  
et licet apud iurisperitos nominatos glossatorum auctoritas  
hac in re satis habuerit ponderis atque efficaret, vt cum  
BVLGARO praferendos censerent vxori antiquiores credi-  
tores hypotheccarios; reliqui tamen uno ore ac voce adfir-  
mant, non minus hodie dotem praeponendam secundum  
ius commune omnibus aliis creditis, licet munita fuerint  
hypotheca expressa; antequam matrimonium sit consumma-  
tum, videlicet IO. ROBERTVS, c) REINH. BACHO-  
VIVS d), ANDR. FACHINAEVVS e), FRANC. BALDVI-  
NVS, f) IOACH. MYNSINGERVS g), FRID. PRVCK-  
MANNVS h), SAM. STRYCKIUS i), LVD. GVNTH.  
MARTINI

a) *Nou. XCVII. cap. 3.*

b) *loc. citat.*

c) *animaduersi contra Cuiacium, libr. III. cap. 14.*

d) *ad Treutler. vol. II. disp. 1. ibef. 4.*

e) *controu. iuris, libr. III. cap. 99.*

f) *in Iustiniano, libr. III. rom. 1. iurisprud. Rom. ep. Asicæ, p. 116.*

g) *libr. IIII. obf. 15.*

h) *vol. 1. consil. XXXXVII, num. 119.*



MARTINI k), IO. BRVNNEMANNVS l), IAC. FRID.  
LUDOVICI m), IO. FRID. EISENHARTVS n), FRID. ES.  
PVENDORFIVS o), IVST. CLAPROTHIVS p), AVG.  
DE BALTHASAR q), IO. AVG. HELLFELDIVS r), ac  
CHRIST. GOTTL. GMELIN. s)

NEQVE vero ad tempus illationis doris respicere debe-  
mus iis in terris, quibus antiquioribus creditoribus hypo-  
thecaris vxor haud praefertur; sed illius momenti ratio ha-  
benda est, quo matrimonium est consummatum. Caurum  
quidem id esse reperimus plerisque in legibus, quibus quo-  
que hoc modo derogatum est iuri Romano; neque tamen  
aliud censendum est, vbi quidquam hac de re in legibus ni-  
hil tradatur. Patet hoc 1) ex PAPINIANO. 2) Quærebatur,  
inquit, de pignore. Quum ex causa promissionis ad uniuersæ  
quantitatis ex solutionum, qui dotem promisit, compellitur,  
non utique solutionum tempora obseruanda sunt; sed dies contra-  
ctaæ obligationis. Argumentum 2) merito duco a liberis, pupil-  
lis ac fisco. Liberi sine dubio a tempore gerendæ adminis-  
trationis bonorum maternorum habent hypothecam, licet  
multo post pater quidquam acceperit et clare sancita sunt a  
IVSTINIANO: 3) dubitabatur, ex quo tempore hypothe-  
cas competere oportet, utrumne ab initio; an ex eo tempo-  
re, ex quo male aliquid gestum est, compendiosa nam ratione  
inter-

z) in usu moderno, zit. ff. de rebus aust. iud. poss. §. 4.

k) in proc. fori Sax. tit. XXXIII. §. 1. num. 39.

l) ad L. 12. C. qui pot. in pign.

m) in der Einleitung in den Concursproces, cap. x. §. 31. p. 69.

n) de iuribus singularibus viduar. §. XVIII. in eius opusculis, p. 249.

o) obs. iuris uniuersi, tom. II. obs. 122. p. 463.

p) in der Einleitung in saemtliche summarische Processe, et quidem dem  
Concursproces, p. 146.

q) de classificat. creditor. p. 49.

r) diff. de diuerso pignoris iure liberis in parent. bonis competence,

§. XVIII. in eius opusculis, p. 119.

s) in der Ordnung der Glacubiger, cap. III. §. 5. p. 169.

t) L. 1. D. qui poriores in pignore.

u) L. 6. c. 4. C. de bonis, quae liberis.

x) loc. laud.

9

---

interpretamur initium gerendae ; vel deferendae administratio-  
nis ; vel observationis esse spectandum. Quum his ex ver-  
bis merito argumentor cum IO. AVG. HELLFELDIO x),  
haud semper respiciendum esse ad tempus, quo pater dissi-  
pare coepit bona liberorum suorum ; neque eos secundum  
illud esse locandum inter creditores patios ; ex eadem le-  
ge concludit cum aliis ERNEST. CHR. WESTPHAL-  
LIVS y), pupillo tribuendum esse in bonis tutoris haud ab  
eo ab hinc tempore, quo quidquam ex eius facultatibus con-  
sumit ; vel in usus suos conuerit ; sed ab eo potius mo-  
mento, quo tutelam in se suscepit. Solum tandem temporis  
contractus rarionem habet ANTONIUS z), ubi de fisci pignore  
loquitur : *quamvis ex caussa dotis vir quondam tuus tibi sit con-  
demnatus ; tamen si priusquam res eius tibi obligarentur, cum  
fisco contraxit, ius fisci caussam tuam praeuenit.* Quum  
omnes hi in eo conueniunt, quod in diiudicanda aetate hy-  
pothecarum ipsorum haud respiciatur ad tempus, quo de-  
bitoribus est solutum, ob quod pignus exercent tacitum ;  
sed quo potius illorum incepit administratio, idem quoque  
adserere debemus de vxore. Eo minus 3) id in dubium  
vocare licet, quum legibus ob debitum futurum pignus  
constituere haud est vetitum a) hocque factio creditor pigno-  
ratius sine dubio locandus est inter alios creditores secun-  
dum tempus hypothecae constitutae : immo ex sanctione  
iuris Romani creditori pignus tribuendum est ob mu-  
tuum ; ante quam soluta sit pecunia debitori, si scilicet cre-  
ditor hac in re haud fuerit in mora b)). Vbi denique 4) per-  
pendamus, secundum nouellam diei, quo numerata est dos,  
nullo modo rationem habendam esse, ubi esset sermo de lo-  
co vxori inter alios creditores, adsignando et si quoque  
abrogatum est quibusdam in regionibus ius praelationis,

quod

a) loc. mem.

z) L. 1. C. de dote caus.

a) L. 5. pr. D. de pignor.

b) L. 4. D. quae res pign. et L. 1. pr. D. qui pot. in pign.

quod ei simul ibi concedatur prae aliis creditoribus, antiquorem hypothecam expressam habentibus, idem simul per id haud contigisse reliquis huius sanctionis capitibus, noua nobis fese offert ratio, quae sententiam hanc corroborat.

**O**BSTARE quidem videtur, quod **SEVERVS** atque **ANTONINVS** in supra recitata lege sanxerunt; sed plane aliam tangit quaestione et numerationem tantum dotis necessariam esse statuit, vbi dotem vxor repetere velit. Hoc profecto nemo in dubium vocabit, quum tam in concursu creditorum; quam extra illum dotis illatio ante omnia sit probanda; nemo autem ex eo tuto argumentari potest, ipsius hypothecam prius haud incipere posse; quam si sit numerata. Eo minus id legislatoribus in mentem venire potuit, quod illorum aetate hypotheca haec mulierum adhuc incognita erat. Quod **ACCVRSIVS** tradidit, ex tempore dationis dotis incipere hypothecam, attentionem haud meretur; sed sola consistit in opinione hominis, qui de iurisprudentia quidem bene est meritus; plures tamen protulit ineptias ac denique merito distinguere debemus augmentum dotis ab ipsa dote; vel eius parte, post contractum matrimonium numerata, ea ratione, ut nullo modo ad eam sint applicanda, quae de augmentatione dotis in legibus sunt cauta.

**H**AEC quum ita fese habeant: duo ex iis duco sectaria. Etsi quoque I) vxor, priusquam nuptias celebraverit, dotem numerauerit; hypotheca tamen illa qualifica ta a die demum nuptiarum fruatur. Ipse quidem quondam c) amplexus sum sententiam **HENR. HAHNI**, d) **REINH. BACHOVII** e) **MERCVRII MERLINI** f) aliorumque etiam sponsae priuilegia competere dotis; neque minus illam recentiore aetate

c) introduct. in controversias iuris civilis, sect. I. cap. II. membr. 1. p. 30.

d) obseruat. ad **Weßenbecker**, dig. parti posterior. libr. XX. tit. III. p. 11.

e) in nos. ad **Weßenbecker**, tit. de priuile. creditor. natu. s. lit. c.

f) de pignor. et hypothecis, libr. XII. tit. II. qu. 7.

aestate defendit PAVLL. IAC. FEVERLIN g); ingenue tamen fateri me oportet, haud leuia ac futilea argumenta illorum esse, qui ei illa denegant. h) Etsi quoque sponsae locum adsignemus inter creditores hypothecarios, vbi pecuniam, quam loco dotis marito inferre intendit, ante nuptias numerauerit, neque illae sint celebratae; illi tamen maius priuilegium; quam alii doti tribuere haud possumus ac merito recordari debemus sanctio[n]is imperatoris, quod dos ad matrimonium sese referat; neque sine illo cogitari possit. Haud fallimur itaque; vbi p[ro]fereramus uxori creditorem, qui consequitus est expressam hypothecam publicam post dotis numerationem, si illam ante nuptiarum diem naectus est ac creditorum concursus obtinet in regione, qua BVLGARI opinio legibus est priuata. Eadem autem ratione II), secundum tempus, quo matrimonium est consummatum, dos est locanda, siue illa sit iam simul numerata; siue id postea sit factum; neque interesse puto, vtrum pacta dotalia vel minimum sint tempore nuptiarum inita; an id postea adhuc contigerit. Neque unum; neque alterum requirunt leges ac CHRIST. THOMASIVS, i) probe animaduerit, secundum ius Romanum pacta illa celebrari quoque potuisse post nuptias, quam id ex pluribus legibus k) abunde liquet. Quum legumlatores haud id patiuntur, quod sit in fraudem tertii, indigna profecto vxor foret beneficiis ipsi tributis, si in fraudem creditorum vellet, quum iam esset in matrimonio, pacta dotalia inire; vbi autem eius aduersari haud potest, semper quoque ob dotem, post celebratas nuptias marito illatam, frui debet iuribus, quae alioquin vxori competunt; neque aliud demonstrari potest

B 2

ex

g) de priuilegio dotis sponsae comperente, Altorfii, C1910CCLXXXII.

b) BENED. CARPOVIVS, part. II. conf. XXIIII. def. 5. WOLFG.

AD. LAVTERBACHIVS coll. theor. prat. libr. XX. iii. II. §. 25. p. 62.

et SAM. STRYCKIVS, us. mod. rit. de tacit. pignore, §. VIII. p. 599.

i) diff. de pact. dotal. sect. II. tom. I. differat. eius academ. p. 914.

k) L. 1. pr. L. 12. §. 1. et L. 29. D. de pact. dor.

ex iis, quae cauta sunt de augmento dotis. Differt a de te; neque eius augmentum obtinet; nisi dos antea est constituta, cui accessit.

OMNIA haec in mentem mihi venerunt, quam pro munieris ratione solleme certamen, a me indicandum est quo libellus, disquisitioni litteratorum virorum subiectus, doctissimo eius auctori opportunam in primis suppeditabit occasionem de lege, iura dotium tangente, disputandi, cui lumen, quod desideraret, belle accendit. Est is

PRAENOBILISSIMVS AC CLARISSIMVS  
**G OTTLIEB HVFELAND**

GEDANENSIS

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER,

qui conflietu hoc viam sibi parabit ad summos honores, ipsi ab illustri iurisconsultorum ordine decretos, rite adipiscendos. Quum in more est positum instituorique maiorum, ut publice indicetur, quenaam familiaritas candidato fuerit cum litteris quaque ratione iis incubuerit: ei haud alienum puto, vbi verba ipse, quibus nobis illam descripsit, recitem:

Ego GOTTLIEB HUFELAND, natus sum Gedani anno MDCCLX a.d. XIX Octobris, patre DANIEL HUFFELAND negotiato ac civitatis Gedanensis centumviro, matre ANNA CONSTANTIA GRANZAU, quibus parentibus carissimis summopere laetor, ac pater quidem, qui literarum studia maxime in deliciis habuit, primis earum rudimentis iam a teneris inde annis ipse me imbuuit; sed eheu! vix nonum intraveram annum, cum morte ille mihi eriperetur, quod quidem dolore multo acriore ac diuturniore me afflicturum fuisse, nisi divino beneficio mihi vitricus contigisset in primis egregius, MICHAEL MALONEK, mercator in primis nobilis ac patriæ urbis centumvir, qui pueritiam et adolescentiam meam germani patris amore, juventutem amicitia, quae dulcior ab aequali proficiisci haud poterat, complexus est. Ad literas

literas vero excolendas, postquam ab anno MDCCCLXVII  
 inde inferiores Gymnasii academicii patrui classes percurre-  
 ram, ad duas superiores sensim admissus, in religionis decre-  
 tis sum. ven. VERPOORTEN, in historiarum, geographiae et  
 juris tum naturalis tum civilis elementis consult. GRALATH,  
 in physicis et naturali historia exp. SENDEL, in logicis et  
 philosophia encyclopaedia exc. STRAUSS, in mathesi tum  
 pura tum applicata exc. BARTHOLDI, in linguae latinae ve-  
 terumque auctorum romanorum studio exc. COSAK, in grae-  
 cis vero et hebraicis b. GRODDECK, exc. STRAUSS et  
 TRENDENELBURG praetores habui, quos gratissimo  
 semper animo venerabor; praeterea ne recentiorum ignarus  
 invenirer idiomatum, linguae gallicae et italicae tempus et  
 operam tribui. Hisce instruclis disciplinarum instrumentis  
 Lipsiam petui, ubi ab exc. BORZIO inter cives academicos  
 anno MDCCCLXXX mensi Octobri receptus sum. Quan-  
 tum ibidem vero praestantissimae incomparabilis ERN.  
 PLATNERI ad exacuendam ingenii aciem et amorem stu-  
 dii philosophici promovendum mihi profuerint scholae, nec  
 praeterire me officium, nec pro dignitate praedicare rei  
 magnitudo me finit. Praeter hunc virum celeberrimum,  
 qui me, non dicam philosophiam, sed philosophandi ratio-  
 nes docuit, b. CHR. LUDWIG tum praelectionibus consue-  
 tis, tum colloquis, ad quae me saepissime admisi, fami-  
 liaribus physicis tradidit doctrinas, exc. LESKE vero hi-  
 storiam naturalem, b. CLODIUS, sum. rev. MORUS, et  
 exc. ECK humaniores literas, ill. BIENER historiam juris  
 et cl. SAMMET ius naturae atque ex Institutionibus Iusti-  
 niani et Digestis ius civile romanum docuerunt, quibus  
 omnibus ac singulis me quamplurimum debere gratus pro-  
 fitor. Praeterea ibidem lingue anglicae elementa addicte-  
 re studui. Inter hos vero studiorum progressus occasionem  
 opportunam, terras extereras cum praenob. IO. HENR.  
 SCHMIDT, patricio Gedanensi, qui jam munieribus publi-  
 eis in patria fungitur, visendi nullomodo negligendam cre-  
 didi; is vero me socio Germaniae plures partes, Belgii

tum quas vocant liberas tum austriacas provincias, Galliam et Helvetiam annis MDCCCLXXXII et MDCCCLXXXIII per tredecim mensium spatium permigravit; quod quidem iter pro viribus in commoda mea verti studui, ita ut in eodem scientias, quas prae aliis adamaveram, excolerim multa proprius cognoscendo et ab eruditis clarioribus discedo, inter quos, ut plures raccam, celeberrimus INGENHOUS, qui Vindobonae floret, insigni me benivolentia atque humanitate exceptit. Hoc modo, ut ita dicam, ad studia juris pleniora praeparatus Göttingam adi, ubi, postquam ab illastr. GATTERERO in civium numerum relatus eram, quicquid mihi oīi dabatur, id omne fere in iurium studio excolendo consumsi; quo consilio audivi viros perillustres BOEHMERUM jus canonicum et feudale interpretantem, ac PÜTTERUM jus publicum et privatum principum, atque summorum imperii tribunalium processum tradentem et praxeos praceptas scriptis et relationibus oralibus excolenda instruentem; praeterea operam dedi illustribus atque excellentissimis viris, CLAPROTHIO processum juris tum expositione tum propositis exercitationibus illustranti, SPANGENBERGIO Digestorum doctrinas evolventi, WALDEKIO jus germanicum exponenti, et MEISTERO jus criminale explicanti. Atque ut aliarum quoque artium, quas addiscendi maxima ibi est copia, studium perseguover, a perill. PÜTTERO historiam imperii R. G., a viris illustribus atque excellentissimis SCHLÖZERO politicam ac doctrinam de rerum publicarum formis, a BECKMANNO Technologiam, Oeconomiam, politiam, et scientiam quam vocant cameralem, a SPITTLERO historiam principum imperii praeflantiorum didici; et praeterea in lingua anglica magis adhuc excolenda duce exc. DIEZIO operam posui, ad quae literarum subsidia, quae maximam mihi praebuerunt utilitatem, accessit plurimum tum jam nominatorum tum aliorum virorum ibi degentium doctissimorum familiaritas mihi concessa, ex qua fructus percepi uberrimos. Quo pacto cum e lectionibus academ-

academicis satis mihi profecisse viderer, superesse censui, ut  
otium mihi sumerem ad ea, quae ex acroasisbus doctissimo-  
rum virorum accepissim, recte digerenda propriaque lectio-  
ne ac meditatione amplificanda. Quo consilio cum in hanc  
Accademiam ante annum fere me contulissim, a sum. rev.  
DOEDERLEINIO, qui tum eam pro Rectore regebat, civi-  
tate academicâ auctus, propter multa, quibus affluit ad  
vita literatae jucunditatem, commoda et ornamenta, do-  
ctorum in primis celebritatem, dissentium humanissima stu-  
dia, bibliothecarum opportunitatem; hanc potissimum eli-  
gendum censui, in quo studiorum meorum fructus docen-  
do expromerem. Et igitur docendi facultatem rite adi-  
pisceret, primum Amplissimi Philosophorum Ordinis in  
hac Universitate florentis examini ac iudicio me obsumi, qui  
quidem summos e philosophia honores humanissime mihi  
largitus est. Deinde Illustrem Jurisconsultorum Ordinem  
adii, ab eoque, ut ad examina pro consequenda in utro-  
que Iure doctoris dignitate admitteret, precatus sum, qui  
precibus meis humanissimis indulgentissime concessit, mihi-  
que post disputationem publicam more majorum habitam  
tribuere istos honores constitutam, pro quo insigni beneficio  
ipsi nunc, uti omnibus fautoribus et praceptoribus meis  
maxime venerandis, qui ad comparandam literarum do-  
ctrinam ad usumque transferendam vel autores vel adju-  
tores fuerunt, gratias, cum primum nunc palam agere li-  
eat, maximas ago, usque officium, pietatem et observan-  
tiā pollicor sempiternam.

EA quam fuerit studiorum candidati nostri dignissimi  
ratio, non potuit fieri quin in utroque examine collegio  
jurisconsultorum omnino satisficerit atque expectationem  
sustineret, quam de se excitauit, eamdemque ob rem ordo  
noster rogatu eius ipse permitteret, fine praeside descendere  
in arenam atque ibi disputationem suam inauguralem de  
legum in pandectis interpretandarum subsidio, ex earum  
nexu

*nexus et consecutione petendo, contra tela aduersariorum defendere.* Dicitus esti huic certamini crastinus dies; ego vero MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLVSTRISSIMUM S. R. I. COMITEM, PATRES VENERANDOS, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMOS GENEROSISSIMOSQUE aequae ac NOBILISSIMOS COMMILITONES meo meique ordinis nomine oro ac contendeo, vt praesentia sua actum hunc splendidiorem reddere velint. P. P. d. ix. Sept. ann. post reparatam salutem c. i. c. CCLXXXV.



VD18

**ULB Halle**  
004 582 101

3




5b. f





**Farbkarte #13**



IQVIAE CONTROVERSIAE 1785, 6  
INTER  
E BVLGARIS ET MARTINVM GOSIAM  
DE  
ELATIONE DOTIS.

PROGRAMMA

QVO

OBLISSIMI AC CLARISSIMI  
**LIEB HVFELAND**  
GEDANENSIS  
IBERALIVM ARTIVM MAGISTRI  
VTATIONEM IN AVGVRALEM  
DE  
IN PANDECTIS INTERPRETANDARVM  
SVBSIDIO  
MNEXV ET CONSECVTIONE  
PETENDO  
X. SEPT. ANN. MDCCCLXXXV.  
INSTITVENDAM  
INDICIT  
**FRID. WALCHIVS, D.**  
SCONSULTORVM SENIOR AC DECANVS.

IENAE  
ITTERIS HELLERIANIS.

